



Hierin 7 Tafeln.  
26. Juli 1899.

*Ex libris*

Hunnii, Arnstadt.  
(Thuring.)

1884.

14

DE  
GENESI  
**MATERIAE PURVLENTAE**  
SINE PRAEVIA INFLAMMATIONE

CONSENSV  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,  
D O M I N O  
**D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO**

MEDIC. ANATOM. ET CHIRVRG. P. P. ORDIN.  
FACVLT. MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
ACADEM. CAESAR. NATVR. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NEC NON REG. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE X. OCTOBRIS C<sup>is</sup> 1000 LXVII.

H. L. Q. S.

PVBLINE DISPVTABIT

A V C T O R

**I A C O B V S G E O R G I V S O T T O**  
ANCLAMO-POMERANVS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

MATRICE PARVAMENTI  
ET MATERIALE INVENTORI

CONSENSU MEDICARUM MEDICARUM

COLLEGII MEDICO-PARVAMENTARI

PARVAMENTARUM ET MEDICARUM

CONFIRMATIONIS CONSENSU

D. OTTONI ABGELA BOHEMI

MEDEO PARVAMENTARUM ET MEDICARUM

PARVAMENTARUM ET MEDICARUM

ACCORDUZ SENSUS MATRICE PARVAMENTARUM ET MEDICARUM

PRO GRADU DOCTORIS

SOTERIANE DOKTORALIS

GRADU DOCTORALIS

GRADU DOCTORALIS

GRADU DOCTORALIS

IACOBVS GEORGIVS OTTO

GRADU DOCTORALIS

GRADU DOCTORALIS

V I R O  
PERILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO  
ATQVE EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
**D. CHRISTIANO ANDREAE  
COTHENIO**

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS  
CONSILIARIO INTIMO ET ARCHIATRO PRIMARIO  
REGIORVM EXERCITVVM  
GENERALI PRAEFECTO MEDICORVM  
SVPREMI COLLEGII MEDICI DIRECTORI GRAVISSIMO  
COLLEGII MEDICO - CHIRVRGICI BEROLINENSIS  
DECANO SPECTATISSIMO  
CIRCVLORVM QVORVNDAM MARCHIAE PHYSICO  
CELEBERRIMO  
ACADEMIAE IMPERIALIS NATVR. CVRIOSOR. ADIVNCTO:  
NEC NON  
REGIAE SCIENTIARVM QVAE BEROLINI FLORET,  
VT ET  
COLLEGII SANITATIS BEROLINENSIS  
SODALI MERITISSIMO

V I R O  
DE N O  
D C H R I S T A N O A N D R E A E  
C O T H E N I O  
P A T R I A L I T T E R I S Q V E M E R I T I S S I M O  
M A E C E N A T I A T Q V E P A T R O N O  
O M N I O B S E R V A N T I A E A T Q V E D E V O T I S S I M A E  
M E N T I S C V L T V P R O S E Q V E N D O

UT ET  
V I R O  
EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
IACOBO FRIDERICO OTTO  
MEDICINAE DOCTORI  
PRACTICO APVD ANCLAMENSES FELICISSIMO  
PHYSICO PROVINCIALI POMERANIAE CITERIORIS  
MILITVM PRAESIDIARIORVM MEDICO

PARENTI OPTIMO  
OMNI ANIMI RELIGIONE, OBSEQVIO  
ET PIETATE AETERNUM DEVENERANDO

HOC QVALECVNQVE SPECIMEN INAVGVRALE

IN

PUBLICVM ATQVE PERENNE

OBSERVANTIAE,

OBSEQVII, PIETATIS ET GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIVM

OB

MVLTA ATQVE INSIGNIA BENEFICIA

CVM ARDENTISSIMO FELICISSIMAE ET SEMPITERNAE

PROSPERITATIS VOTO

SACRVM ESSE VOLVIT

## TANTORVM NOMINVM

DEVOTISSIMVS ET OBSEQUENTISSIMVS CVLTOR

IACOBVS GEORGIVS OTTO.

---

IN ACAD. FRIDER. D. X. OCTOBRS CICCLXVII.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
GENESI  
MATERIAE PVRVLENTAE  
SINE PRAEVIA INFLAMMATIONE.



§. I.  
*Definitives variae.*

*Inflammatio* est tumor cum dolore rubens & ardens. Mutatio praesentis inflammationis, qua posita, inflammationem amplius obrinere, dici non potest, *solutio inflammationis* vocatur. Ea quidem varia & multiplex a Medicis proponitur, cum inflammationem, resolutione, scirrho, pure, gangraena, sphacelo,



celo, vlcere, desquamatione & rigore productis, abire obseruauerint; missis tamen reliquis, *de suppuratione* praecepue dicemus, qua indicere solent eam inflammationis solutionem, quae fit, cum materia paullo tenax, subalbida aut subflava parti antea inflammatae innascitur. Materiam hanc *pus* nominant, ab *ichore* visciditate, colore & acrimoniae gradu facile distinguendum.

§. II. ORATIONIS


*Genesis puris ex praegressa inflammatione.*

Pusflammam, per HALLERI experimenta, concipit, atque cum heliotropii liquore rubescit (*HALLERI Element. Physiolog.* Tom. I. Libr. I. Sect. IV. pag. 32.). Necesse ergo est, vt illius mixtionem, praeter copiosum oleum, acidum ingrediatur. Pus praeterea generatur in tela cellulari, tam adiposa, quam teneriori, quae solam lympham recipit, quod ex suppuratione cerebri patet. Nunc lympha vero & adeps ad acidum inclinant. Adipi enim acidum inesse, luculentiter ostendit HALLERVS (l. m. c. pag. 31.) monetque, medullam ideo parum putrescere; de lympha autem idem valere, docet illius putredo longe, quam in cruento, difficilior; morbi porro ex acido, vt purpura, lympham potissimum affidentes, laetitia, ad acidum prona, bene tamen nutriendia, & alia quam plurima eandem veritatem confirmant. Quare genesis puris ex praegressa inflammatione sequenti ratione

tione concipi debet: Inflammatio quaevis, partem quan-  
 dam corporis humani afficiens, nascitur ex violenta vasorum  
 sanguiferorum, quae arteriae vocari solent, per diathesin  
 inflammatoriam obstructione, urgente simul versis loca ob-  
 structa sanguinis motu. Motus hic & nata, ex phlogistica  
 sanguinis constitutione, obstructio, pro subiectorum, loco-  
 rum, & caussarum diuersitate, maiores minores esse pos-  
 sunt. Quodsi ergo *primo* iusto moderamine adsint: fieri ali-  
 ter non potest, quin inflammatio *resoluatur*. Motus enim  
 sanguinis versus locum inflammatum maior & motum vas-  
 rum in globulos sanguinis auget, & calorem intensiorem  
 efficit. Vtraque ergo ratione diathesis inflammatoria, sta-  
 gnans in vasis, haecque obstruens, resolui, atque *vel* per  
 vasa communicantia minora vehi, *vel* per poros telae cellu-  
 losae, vasis arteriosis circumiectae, inferri, sicque ad massam  
 sanguineam sine detimento (cum ei nunc denuo assimilata  
 sit) reduci potest. Si vero impetus sanguinis nimis parvus,  
 diathesis autem inflammatoria magna sit: *scirrhous* inflamma-  
 tionem excipiat necesse est. Vires enim vitae nimium tunc  
 languent, quam ut spissum inflammatorium solui queat. Per-  
 git itaque vasa obstruere, atque, reuecto fluido, quod con-  
 tinebat, tumorem durum relinquit. Quando demum san-  
 guinis, quo ad partem inflammatam fertur, impetus *exce-  
 dens* occurrat: praeter rupturam vasorum & fluidi in cellu-  
 larem effusionem, aucto in loco inflammatu calore & affrictu

B

motus



motus intestinus oritur. Is nunc, cum lympham & adipem  
aeque ac sanguinem corripiat, si non nimium excedat, fer-  
mentationem, maiori autem excessu peccans purredinem in-  
fert. Si illam: pus; si hanc: ichor exinde nascitur. Hinc  
*suppurationis, gangraenae & sphaceli* ortus cognoscitur.

§. III.

*Fieri potest, ut eae ipsae conditiones in sanguine sine praec-*  
*nitio inflammatione ad sint.*

Genesis ergo puris ex praevia inflammatione requirit  
diathesin inflammatoriam; motum sanguinis naturali multo  
maiorem; adipem & lympham. Nonne ergo sine praevia in-  
flammatione nasci potest? Ut huic satisfiat quaestioni: ex ana-  
logia conditionum ostendemus, fieri posse, ut in ipso sanguini  
purulenta nascatur materia. Quod facile omnino patet.  
Nam 1) *sanguini diathesis inflammatoria innasci potest*, quod  
nemini dubium videbitur, qui cogitat, phlogisticam illam  
sanguinis conditionem particulares demum producere inflam-  
mationes: 2) *motus sanguinis naturali multo maior reddi potest*, sine eo, ut particularis praesens sit inflammatio: quod  
innumeram exempla probant. Demum 3) *sanguini adeps & lympha innatant continuo*, cum secretiones horum fluidorum  
non possent alias contingere. Cum ergo eadem plane con-  
ditiones in sanguine obuenire queant, quae adsunt in parte  
inflammata, suppurationem paciente: sequitur, *suppuratio-*


*nem,*

*nem, sine praevia inflammatione, in ipsa humorum massa produci, descripta ratione, posse.*

§. IV.

*Idem porro ostenditur.*

Sed ulterius hac in re progredi licet. Videntur enim corpora existere, quae sanguini immissa, vi sua cum in pus conuertunt. *Miasma variolosum* id manifesto docet. Quamuis enim Medicorum plurimi genesin puris in hoc morbo a statu inflammatorio repeatant: hanc tamen, aliis obseruatis contraria sententiam, defendere nolle. Quid enim? Nonne videmus, fere eundem inflammationis gradum in morbis variis, quibus interea nulla accedit suppuration, adesse? Nonne scarlatina, morbilli id ostendunt? Pulcre itaque errant, qui soli sanguinis inflammationi copiam puris in variolis tribuunt; quod certe eo magis a veritate abhorret, quo magis in media chlorosi, ut crux pleuriticus, ita pus formatur. *Conf. Illustr. de HAEN Ration. Medendi Tom. II. Cap. II. pag. 35.* Conuenientius ergo forsitan erit, si statuantur, *miasma variolosum eius esse naturae, ut tam concitando sanguinem, quam cras in illius peruerendo purulentam materiem efficiat.* Confer. *Illustr. de HAEN l. m. c.* qui alia huius rei momenta assert. De *Bella Donna*, quam magnis multisque nonnulli laudibus in scirrhis & cancro efferunt, miram habet obseruationem *Illustris de HAEN* (*l. m. c. pag.*



36. 37.), quae, si viterius nouis obseruatis confirmabitur, optimo docebit, hanc herbam iis corporibus accensendam esse, quae virtute, sanguinem in pus mutandi, praedita sunt. Ita enim loquitur: *Hortatu & exemplo celebrium in arte Virorum dedi, exâcte secundam datam formulam, infusam hanc herbam qua: uor foeminis, quae aut scirrho, aut Cancro, aut Carcinomate maligno laborarent.* Praeter dolorum augmentum, praeter vertigines & *αυβλωπταν*, per aliquot ab assumento remedio horas quotidie toleratas, qui tecti scirrhi, aut Cancri fuerant, sponte aperiebantur, pusque bonum fundebant; Cancri vero, qui antea aperti fuerant, pro ichore copiosum pus dederunt. Spem utique hoc in principio fecit. At vero prodidit deamum puris copia tanta, ut per pavimentum deflueret, ne quidem repagulis ex stupa mammae circumpositis coercenda, ut demum pene extinguerentur duae feminas; Cancero interim aequa maligno conspecto. Binae vero aliae, quod breuiore temporis spatio infusa hac herba uterentur, minus male ab eadem multatae fuerunt, sed perinde ac priores duae, nullam Cancri emendationem adeptae. Videri equidem posset, ac si puris effluentis copia, a Bella Donna eiusque usu producta, inflammationi auctae in scirrhosis aut cancerosis partibus danda sit, cum *Illustris de HAEN* moneat, dolores auctos esse; at si cogitemus, malignitatem cancri mansisse, pus quidem non in partibus ipsis affectis, sed in massa sanguinis ortum esse concipi debet. Eandem vim *Cicutae* tribuit

buit *Illustris de HAEN*, quamuis minorem. In sua enim ad sibi communicatas obseruationes *Vratislauenses de Cicuta* responsione pag. 23. illa, quae de Bella Donna obseruauerat, repetit et pag. 24. addit: *Neque ego eam ichoris in pus conversionem obseruavi tam frequentem, & in his, quibus cicutam dedi ego, & in illis, quibus per alios eadem data frequenter affui, ulceraque inspexi: neque alii idem ita obseruarunt.* Verum haec experimenta repeti debent. Nam non sine summa admiratione in *Aletophilorum quorundam Viennensium elucidatione necessaria Epist. de Cicuta quam Celeb. de HAEN scriptis ad Ceberr. TRALLIS pag. 95. legi: Quod de Bella Donna scribit in suo secundo Tomo Rationis Medendi HAENIVS, illud quoque falsum est, quod alia occasione demonstrabimus; nam Diaria habemus. Mihi hic sufficit, vel unicum huius rei dedisse specimen, quod variolae suppeditant.*

### §. V.

*Corrigentia nonnulla pus faciunt, absque inflammatione ortum.*

His omnibus, quae haetenus de ortu puris sine inflammatione praeuia differui, hoc quoque momentum adiici potest. Nouimus, ichorem putredinis esse effectum, abque ea ita pendere, ut pus a fermentatione. Nunc putredo a fermentatione gradu tantum differt. Nonne itaque ichor in pus conuerti debet, si, corrigentium usu, putredinis praesentis mitigetur gradus? Procul dubio. Videmus quoque



in variolis, quando boni & egregie cocti puris loco sanies adest, acida & in primis Corticem Peruvianum, decantatissimum illud remedium, summa cum utilitate adhiberi & efficere, ut sanies, fluida solidaque iam depascens, in blandum innocuumque mutetur pus. At enim vero putredo absque inflammatione existere in corpore humano potest. Quodsi ergo tunc corrigentia remedia saniem in pus conuertant: nonne pus tunc sola correctione, sine praegressa inflammatione, nascitur?

### §. VI.

*Nouum huius rei argumentum (§. III. seqq.).*

Ex §pho II. intelligitur, pus ab eo motu intestino sanguinis, adipis & lymphae pendere, qui fermentatio a Chymiae peritis nominari solet. Nunc autem illius praesentia non semper postulat, ut inflammatio, siue vniuersalis, siue particularis adsit. Quam saepe enim in primis v. g. viis nascitur nociva contentorum fermentatio, sine inflammatione? Nonne in sanguine ergo ipso, si praedispositum fuerit corpus, is quoque motus intestinus absque inflammatione oriri poterit? Quodsi vero hoc: purulenta etiam materia tunc sine inflammatione effici potest. Scio quidem reponi hic posse „sanguinem humanum profum esse ad putredinem, minus vero ad fermentationem.“ At in eo argumento sanguis ponitur ita, ut legibus sanitatis exacte respondeat;

quod

quod non semper assumi potest, cum experientia non solum testetur, sanguinem a sanitate generatim defletere, sed interdum quoque acido abundante & morbo repletum esse. Atque de his casibus id, quod afferamus, potissimum intelligendum erit.

### §. VII.

*Transitus ad caussas remotas nati sine inflammatione puris.*


Ostendimus hactenus, variis argumentis polaris, purulentam materiam in corpore humano nasci posse, quamuis nulla adsit inflammatio particularis. Vidimus quoque, ne vniuersalem quidem necessario requiri, id est eam, quae soli sanguini inest, ex praesentia diathesis dictae inflammatoriae cognoscenda. Nunc iam remotas huius suppurationis considerabimus caussas, interque has eas, quae praecipuae sunt.

### §. VIII.

#### I. Diathesis sanguinis inflammatoria.

Diathesis sanguinis inflammatoria, nondum in parte quadam subsistens, frequentissima erit puris, sine praevia inflammatione particulari, genitrix, cum & cum intensiori humorum motu coniuncta existere soleat, & toties stagnans inque motum intestinum abrepta sub particulari inflammatione materiam purulentam producat. Eundem effectum delata ad cellulosa procreare valebit. Nemo non enim videt,

fieri




fieri posse, ut *successivae* diathesis inflammatoria cellulose partis cuiusdam inferatur, in quo casu, cum violenter vasculis sanguiferis non inhaereat, inflammatio nulla contingat. Materies ergo tunc sine inflammations ibidem haerens, *vel*, facta temporis mora fluidissimarum particularum absorptio-  
ne, in *scirrum* eleuabit partem, *vel* ob calorem, quietem motu intestino agitata in pus degenerabit. Quaelibet ergo cauilla, ad producendam diathesia inflammatoriam apta, materia purulentam sine praevia inflammatione ingenerare va-  
lebit. Huc vero sequentes causae spectant:

1) *Motus sanguinis nimium intensus.* Constat ex RY-  
SCHII experimentis, quod sanguis, si conqualetur, in  
membranam abeat. Ille enim ramulo exagitauit san-  
guinem, donec refrigesceret, tuncque suam membra-  
nam obtinuit. Confer. *Illustris BOEHMERI, Patroni,*  
*Praeceptoris & Praefidis* mei, omni pietatis cultu pro-  
sequendi, *Dissert. de praecauenda polyporum generatio-*  
*ne*, Hal. 1736. §. VI. seq. p. 12. 13. & *Illustris de HAEN*  
l. c. Part. I. pag. 64. Eadem generatur, si sanguis, la-  
gena exceptus, vna cum ea agitatur (*Illustr. de HAEN*  
l. m. c. Cap. VI.). Patet hinc, diathesin inflammato-  
riam ab omni re, quae valide sanguinem quaessat, na-  
sci posse. Sed motus enormis certe certius sanguinem  
agitat.

2) *Ae-*

- ❧
- 2) *Aestus sanguinis.* Vix enim dubitari potest, quin diathesis inflamatoria generetur a coagulabili illa, quae sanguini inexistit, parte. Haec vero, admoto ipsi majori caloris gradu, vere coagulari aut inspissari incipit.
  - 3) *Pressio sanguinis per contractas arterias.* Sic frigus diathesin inflammatioram infert, post exaestuationem praecipue admissum. Quis enim non videt, hac pressione fieri, ut seri coagulabilis partes proprius ad se accedant?
  - 4) *Pressio particularum sanguinis inter se.* Quod in plethorics obtinet. In his enim sanguinis, vix vasis continendi, particulae in se inuicem nituntur, propiusque semper, sese attrahentes, accedunt; hinc demum dicta diathesi oriente. Accedit interea in his subiectis, quod aestum facile intensiorem motumque sanguinis maiorem experiantur.
  - 5) *Abusus rerum, quae attractionem particularum sanguinis adaugent.* Huc spirituosa, adstringentia pertinent, quorum abusus diathesin inflammatioram toti sanguinis massae inducere solet.

Ex his caussis aliae satis facile colligi possunt. Sed confer de iis GAVBIUS in *Instit. patholog. medic.* §. 367. pag. 169. & *Illustris de HAEN Ration. Medendi Part. II. l. c.* Plura enim hic de illis differere non opus esse censeo.



## §. IX.

II. *Copia adipis & succorum lymphaticorum.*

Pus enim ex adipе succisque lymphaticis paratur (§. II.). Nonne itaque eo facilius sine etiam praevia inflammatione oriiri potest, quo maior est, quae in corpore praesto est, adipis & succorum lymphaticorum copia? Ipsa experientia id manifesto docet. In infantibus copia insignis succorum lymphaticorum obtinet; sed frequenter etiam morbis purulentis succumbunt, variolis v.g. & crustae lacteae. Praeterea & id sententiam nostram confirmat, quod purulenta materia nunquam facilis, quam in locis, magna adipis copia repletis, oriatur. Mammae muliebres exemplo esse possunt. In his enim si nascatur inflammatio: pus facillime generatur.

## §. X.

III. *Dispositio ad acidam humorum acrimoniam.*

Materia purulenta eius est indolis, ut copiosum acidum in se contineat (§. II.). Quodsi ergo in corpore quodam dispositio ad acidam acrimoniam obtineat: fiet hinc, ut leuiori ex causa corpus, ex copioso acido conflatum, hinc pus quoque, generetur. Accedit, cum acido, in corpore humano praesente, facile adipis copiam increscere. Luculentissime enim *Perillus de HALLER* ostendit, acidum copiosum adipi inhaerere. Si ergo acidum paullo copiosius adfit, inde corpus, ex aqua, oleo, terra & acido constans, seu  
adeps

adeps facilius generari potest. Quod etiam obseruatis respondet; animalia enim herbiuora carniuoris obesiora sunt (*Perillustr. de HALLER* l. cit. pag. 32.). Sed Spho anteced. euictum est, cum adipis copia dispositionem ad praeparandum pus increscere. Quare & ob hanc caussam disposio ad acidam humorum acrimoniam puris genesin facilitabit. Infantes hic quoque exemplum suppeditant. Eorum enim humores copiosiori acido facilius scatent. Nonne vero hinc quoque crusta lactea variolisque facilius leniusque afficiuntur?

### §. XI.

#### IV. *Motus intestinus.*

Non potest certe materia purulenta sine motu intestino illius massae oriri, quae elementa seu principia eiusmodi materiae continet. Quodsi ergo in praedisposito subiecto (§§. VIII. IX. X.) motus intestinus, naturali maior, concipiatur: purulenta materia, sine praeterea inflammatione quoque, nasci potest, siue id nunc fiat in sanguine ipso, siue in parte quadam. Caussis vero, quae hunc intestinum motum procreare valent, haec videntur adnumeranda:

- 1) *Putridum.* Hoc enim motum humorum intestinum efficit, sustentat. Nunc quidem illud grauius mitiusque esse, inque corpore, magis minusque ad putredinem disposito, obtainere potest; pro quarum rerum circumstantiis



& diuersitate modo vera hinc putredo latius se se extendet,  
modo motus tantum fermentatorius, purulentam materi-  
am inducens, orietur. Sane obseruationes testantur,  
quam facile alcalinus sal volatilis & acidum in corpore  
humano sibi inuicem succedant. Nam, ut pauca tan-  
tum huius rei documenta afferam, petechias haud raro  
sudor acidus excipit, testante id *Celeberr. STRACK*, qui  
in *Traſt. de Morbo cum petechiis* expressis verbis monet:  
*cum petechiae euauerint, saepe plurimum sudoremaci-  
dum ex uniuerso corpore erupisse, eumque unum duosue  
dies, saepe etiam diutius, fluere continuasse.* Conf. l. cit.  
pag. 23. Atque de miliari morbo, ex acido oriundo, fa-  
tis contra ea notum est, quam facile fiat, ut putredinem  
corpori inducat. Etenim *hominum hoc morbo eruptio-  
rum cacauea cito intolerabiliter foetent;* & intume-  
scunt; *Calorem tenacissime seruant;* & naribus saepe non  
sine vehementia sanguis exilit. Vid. *Carol. ALLIONII*  
*de miliar. origine, progr. natura & Curat.* Cap. VIII. §.  
137. pag. 65. Quare cum cauſſae alcalini ſalis & acidi in  
corpore humano tam prope ad ſe inuicem accedant: fie-  
ri etiam potest, ut putridum, in corpore praefens, lenitus  
tamen agens, materiam purulentam producat (§. II.).  
Atque id mihi obſeruationes testari videntur. In pete-  
chiis enim nonnumquam tumores, vere metaſtatici, ori-  
untur, qui inſignem puris copiam ſundunt. Pulcra ea  
de

de re habet obseruata *Celeberr. Donald. MONROUS*, cuius  
*egregium de morbis militum tractatum germanice edidit*  
*Clariss. WICHHMANN.* Sic enim p. 34. seqq. de febre ma-  
*ligna loquitur : Geschwülste der Ohrdrüßen äusserten sich*  
*bey einigen Subiecten, gegen die Abnahme des Fiebers zu,*  
*welche zum Eitern kamen, und critisch wurden. Nur*  
*bey zween dieienigen ausgenommen, welche ich zu besorgen*  
*gehabt, da ich in Teutschland war, fanden sie sich sehr frü-*  
*he bey dem Fieber, eiterten aber nicht. Beyde Kranken*  
*starben; alle die übrigen geneseten, ausgenommen ein al-*  
*ter Mann, ein Invalid zu Bremen, welcher, da er eine Ge-*  
*schwulst an der rechten Seite kriegte, die zur Eiterung*  
*kam und critisch schien, einen Rückfall vom Fieber bekam;*  
*eine andere Geschwulst formirte sich auf der andern Seite,*  
*und kam gleichfalls zur Eiterung, da das Fieber zwar auf-*  
*hörte, nachdem es ihn sehr mitgenommen hatte; allein*  
*der starke Ausfluß von den Geschwüren zehrte ihn all-*  
*nachgerade aus, und er starb an der Auszehrung, ohnge-*  
*fähr einen Monath nachher, da ihn das Fieber verlassen*  
*hatte.* Videri equidem posset, ac si effluens ex istis vici-  
*ribus materia purulenta ex praevia glandularum inflam-*  
*matione originem suam sumiserit; sed si cogitaueris, adeo*  
*insignem huius materiae copiam natam esse, vt in tabem*  
*inciderit aeger, de quo MONROUS loquitur; facile pate-*  
*bit, materiae purulentaे ortum in his casibus minime in-*

C 3

flamma-

flammationi peculiari, sed acri petechiali, quod in ista febre maligna adfuit, adscribendum esse. Idem forsitan ex bubonibus pestilentialibus euinci posset. Notabile est, quod notauit SCHREIBERVS (*Obseruat. & Cog. de Pestilent.* pag. 15.) *Peste iam inualida*, inquit, *ut perpaucos tantum corriperet, sicque fere sporadica dici mereretur, qui ea adfiebantur, se omnino habebant, ut sani. His derepente oriebantur bubones, aut carbunculi, aut utriusque: Ast febris omnino nulla.* Non solum vero bubo pestilentialis sine febre orihi potest, sed suppurari quoque, absque ea & inflammatione. Docere id videtur obseruatio *Clariss. Adami CHENOT.* Sic enim, dum bubones pestilentiales describit, loquitur: *In ipsis primordiis exilem, profunde latentem offerunt tangenti digito duritiem: hanc pisi figura & magnitudine in me, & in nonnullis aegris compri; latecit dein fabamque refert, cuius figurae fere in omnibus obseruauimus; forte ideo, quia raro ipsis initiiis adstitimus, haec germina, in mitissimo & mitiori pestis gradu, dissipari solebant, atque tunc praegressi in loco affecto attritus urina ostendebat indicia, videlicet album puriforme, nunc parcius, nunc copiosius pro remissiore, aut intensiore febre sedimentum.* Vid. *EIVS Traet. de Peste* pag. 73. Videntur quidem haec eam, quam diximus, sententiam minime corroborare, ei potius aduersari, cum *Clariss. CHENOT* manifesto materiam purulentam, quae bubo-

bubonibus prius, deinde vrinae inexstirat, a febre modo remissiore, modo intensiore deducat. Verum hanc febrem non obseruauit CHENOT; sed adfuisse ideo suspicatus est, quod purulentam materiam sine febre & inflammatione oriri non posse, ex theoria assumserit. *Vere* tamen purulentam in his casibus materiam sine febre & inflammatione pararam esse, exinde concludi potest, quod, vero bubre nondum excitato, sed germine tantum eius, purulenta iam comparuerit materia. Non sine ratione ergo eiusmodi in peste casus explicare possumus ex materia pestilentiali (quae *vel* in putrido consistit, *vel* illud tamen in corpore facile efficit) mitius in lympham glandularum congregatarum agente, hancque in eum motum intestinum, sine inflammatione, abripiente, vnde purulenta materia in corpore nascitur (§. II.). Omnia phaenomena huic sententiae fauent.

### §. XIII.

*Aliæ enuffae hunc motum intestinum producentes.*

Praeter putridum, quod, producto motu intestino, nonnumquam corpus purulenta materia replet, hoc etiam pertinent:

- 2) *Motus humorum progressivus nimium intensus.* Cum eo enim motus quoque intestinus increscit, quo dein fit, ut *vel* vera putredo, *vel* acidum, fermentatio & purulenta mate-



materia nascatur. Nonne videmus autem illum motum efficere, ut diathesis inflammatoria, particularem quae induxit inflammationem, cum adipe & lympha in purulentam convertatur materiem? Nonne ergo, cum eadem plane conditiones in sanguine ipso nasci queant, eiusmodi motus eisdem plane effectus inducere potest, sine praegressa etiam inflammatione particulari? Illustrare id possumus purpurae exemplo. Nouimus hunc morbum facile oriri in hominibus, quibus sanguinis motus nimium intentitur, ita, ut in febre simplici etiam ob spirituosorum & phlogisticorum remediorum abusum miliaria soleant exanthemata exsurgere. Sed purpurae acutae causa vere in acido latet corrupto. Motus ergo sanguinis intensus, ut hinc manifesto patet, acidi ortui fauere potest, quod praecipua est puris pars (§. II.). Numquid hoc *anginae* pertinent, quae, notante id *Illustri de HAEN*, altero iam morbi die pus exsudant?


3) *Miasmata varia.* De varioloso iam diximus (§. IV.). Pluries Praetici viderunt, inquit *Illustris de HAEN*, tum expulsas, tum maturas, adeo modica cum febricula, ut nulla eidem tribui inflammatio possit. Attamen genuinum pus, idque saepe copiosum, hic gignitur. Observaturque idem & in discretis, & in mixto genere, & aliquoties in benignis confluentibus (l. cit. pag. 22. 23.). Ipsae reliquiae materiae variolosae pus sine inflammatione nonnumquam

quam manifesto generant, quod *Idem Vir Illustris* egrie monet. Nam *Furunculi*, inquit, *nonnumquam in his, qui a variolis conualescunt, conspiciundi, qui, teste MEAD, in insitivis variolis, quam in naturalibus, frequentiores sunt, non sunt praegressa inflammatione, nisi solius tensae, a materia, cutis; sed tumor unica die nascitur, augetur, & apertus incipit nonnumquam eodem illo die pus fundere* (l. cit. pag. 17.). Spuria quoque dantur variolae, quae, sine febre nulla notisque verae inflammationis, pus creare solent. *Pestilentiale & petechiale* miasma nonnumquam non minus hoc pertinent (§. anteced.). *Scabiosum* quoque. Nam si humidam scabiem crustamque, quae dicitur, lacteam consideraueris: verum inuenies pus. Hoc vero inflammationi dare certe non poteris, quae & minor est, quam ut tanta materiae purulentae copia exinde nasci possit, & absque vera febre existit, hinc necessario *verae* inflammationis, quae pus generare valet, praedicato destituitur. Plura, eiusmodi miasmata vltiores fine dubio edocebunt obseruationes, cum acre quodus ad eam rem aptum mihi esse videatur.

4) *Stagnatio crustae phlogisticae.* Ea enim est fluidorum corporis humani natura, ut stagnantes maiorem motum intestinum concipient. Is vero duplex esse obseruatur, cum alias eorum particulae propius ad se inuicem accendant, hinc spissitudinem patientur, quid? quod in ve-

D

rum



rum corpus solidum mutentur, *alias* autem attenuentur, resoluantur, fermentent, putrescant. Crusta itaque phlogistica, nata ex suis, quas diximus (§. VIII.), caussis, ipsis mutationibus stagnans exponatur necesse est. Si insipsetur ergo: *scirrum*; si resoluatur & fermentet: *pus* producit. Nonne hinc *vomicae pulmonum* explicari debent, quae, sine prævia inflammatione & ratione maxime obscura, nonnumquam generantur? Vix aliunde eas explicabis.

5) *Calor intensior.* Is enim motum humorum, quos continet corpus humanum, intestinum eadem sine dubio ratione augebit, qua fermentationem putredinemque in liquidis massisque, extra corpus humanum praesentibus, efficit, facilitat. Quodsi ergo diathesis inflammatoria obcaussas praegressas iam obtineat: calor accedens maior non poterit non eam in purulentam materiam conuerte-re. *Anginae* illae no. 2.) hic non minus pertinent, cum motum progressuum auctum simul cum intensiore calore & v. v. in corp. human. obserues.


6) *Remedia varia.* Nempe illa, quae ut *Bella Donna* (§. IV.) vel ut corrigentia (§. V.) agunt. Quamuis enim istorum remediorum aetio, cum in minimis particulis perficiatur, satis sit obscura: facile tamen pater, ea *pus* producere non posse, nisi motum sanguinis intestinum exci-

excitent. Optandum tamen, ut Practici plura eiusmodi corpora detegere annitantur, quae, ut Bella donna, in corpus humanum agunt. Non ad praxin tantum, sed ad ipsam theoriam magna exinde redundabit utilitas.

§. XIV.

*De puris materia in grauidarum sanguine.*

Expositis his materiae purulentae sine praeuia inflammatione caussis: reliquas, quas adducere adhuc possem, omitto, cum odiosa sit earum rerum longa repetitio, quae in explicandis Medicinae elementis tradi solent. De grauiditate autem pauca adiicere, mihi opus esse videtur. Dicit *Illustris de HAEN* (loc. cit. pag. 20. 21.): *Foeminis sanguis passim laxior, & a crusta formanda alienior, plerumque tam materiam in iisdem grauidis pro crusta habet, & non raro, si hae feminae negligantur, viam ad phthisin sternit.* Atque *ibid.* pag. 24. 25. *Grauidarum sanguis, crustam qui adeo densam formet, communī lege vix explicabo.* Quaerit itaque: annon forsitan aliiquid ἀγνωτόν, ad tales sanguinem producendum, concurrat? Iuuabit nonnulla ea de re hic monere, cum a proposito nostro minime sit alienum. Plurimi ad plethoram, ut id phaenomenon explicent, prouocant. Sed negat hanc caussam *Illustris de HAEN* loc. cit.; recteque negat. Manifestum enim est, ut *Is* vrget, hanc plethorae ideam mox tolli consideratione necessitatis superflui sanguinis,




quo vterus, ut magnitudine, ita & crassitie crescat; eandem praeterea caussam expungi contemplatione nonnullarum foeminarum, quae neque pubertatis, neque coniugii tempore, vniquam menstruantes iisdem nihilo minus incommodis, dum grauidae sint, quibus pleraequae aliae foeminae grauidae subiaceant; demum complures foeminas pati eadem symptomata, quae plethorae adscribuntur, antequam prima vice mensibus destituantur. Adiicere & id licet: copia sanguinis, quam mensibus fluentibus perdere solent foeminae, non tanta est, quanta vulgo putatur, quod ipsem *Illustris de HAEN singulari artificio detexit, atque postea Perillus van SWIETEN repetiit.* Nunc ab ea retenta in grauidis eo minus varia deducere licet phaenomena --. Neque opus est, ut hic ad pletheram aut aliquid  $\delta\gamma\omega\sigma\tau$  configiamus, cum variae sint caussae, quae praeditam diathesin grauidarum sanguini inducere possunt. Spectant huc I. *variae caussae prementes.* Ipse foetus premit in vtero vasa. Sed premuntur etiam vasa abdominis ab vtero distento. In cadavere mulieris, sexto grauiditatis mense in aquam delapsae & suffocatae, inuentum fuit, fundum vteri ventriculum tangere: sed inter vteri tumentis partem anteriorem & peritonaeum nihil de intestinis, ne de omento, inueniebatur; omnia enim haec viscera, ad latera vtrique remota, conspiciebantur; vnde vteri superficies peritonaeo anterius erat contigua. In aliis grauidis inuentus fuit ventriculus vteri fundo in cumbe-

cumbere; omentum & pars magna intestinorum sursum ac retrosum, versus diaphragma, haerebant compressa (*Perillustr. van SWIETEN Commentar. in Aphorism. BOERHAAVII Tom. IV. §. 1295. pag. 459.*). Validissimae istae vasorum sanguinisque, in iisdem contenti, compressiones, non possunt non diathesin inflammatoriam (§. VIII.) inducere.

2. *Spasmi.* In grauidis enim frequens est spasmororum prouentus, cum congestiones sanguinis, dolores, acres particulae, sanguini inhaerentes, non deficiant, atque, quod ferre praecipuum est, auctam pariter aequa ac alienatam sensibilitatem patientur, quae maxime notabilis est spasmorum caussa. Eiusmodi autem spasmis praesentibus, sanguis, per vasa contracta vehendus, iterum premitur partesque eius adunantur, ut diathesis phlogistica hinc oriatur (§. VIII.).

3. *Congestiones sanguinis.* Ut plethora vniuersalis, ob copiam sanguinis, in toto corpore praesentem, modo dictam dispositionem sanguini infert, ita plethora particularis, seu congestio sanguinis eundem habebit effectum. In grauidis autem non deficiunt congestiones. Spasmi enim, dolores, pressiones insignium vasorum, ipsiusque aortae (*Perillustr. van SWIETEN loc. m. cit. pag. 461.*) eas inferre possunt.

4. *Acrimonia humorum.* Quem fugit enim, quanta nonnumquam acrimonia laborent grauidarum humores, quamque horrendi sint, qui hinc prouenire solent affectus? Ex antecedentibus autem patere potest, humorum



acrimoniam pus & crustam inferre posse. §. Vita se-  
dentaria, quam multae, nisi plurimae, grauidae exer-  
cent. Hinc enim sit, ut sanguinis particulae magis ma-  
gisque sese attrahant, demum phlogisticam diathesin produ-  
centes (§. VIII.). Ex his forsitan caussis & similibus is, quem  
proposuit *Illustris de HAEN*, causis, veritati conuenienter, ex-  
plicari potest. Vel vnicarum caussarum sufficit ad in-  
generandam diathesin illam; quare nec opus est, ut omnes,  
quas adduxi, semper concurrant.


## §. XV.

*Effectus materiae purulentae sine praevia inflam-  
matione natae.*

Ad effectus iam transeo, qui materiae purulentae, sine  
inflammatione natae, natales suos debent. Patuit in superio-  
ribus, purulentam eiusmodi materiam *vel* in ipso sanguine  
nasci posse, *vel* in parte quadam corporis humani. Vtrius-  
que effectus breuibus delineandi sunt. Quodsi ergo *primo*  
sanguini inhaereat: *vel* manet cum sanguine commixta, *vel*  
metastasi quadam loco cuidam externo internoue infectur.  
Si *prius*: continuato eius motu, attritu & calore fiet, ut  
acrior, maxime corrupta & ichorosa euadat, solida demum  
ipsa pernicie afficiens. Nonne vero, ut putrida, ita & aci-  
da volatilis acrimonia hinc nasci potest? Nonne hinc dein  
pur-

purpura eueniet? Nonne haec conditio efficit, vt purpura  
 morbis inflammatoriis facillime accedat? Problemata haec  
 sunt, quorum solutio sit penes Le<sup>t</sup>tores! Si *posteriorius*: ma-  
 teria purulenta *vel* cito satis euacuari potest, *vel* diu in ea  
 parte retinetur. Si *illud*: salus, ob citam illius euacuationem,  
 sperari potest, nisi nimia copia sanguini insit, continuoque  
 regeneretur, tunc enim febris lenta & he<sup>t</sup>tica non poterit  
 non oriri. Si *hoc*: mora temporis corruptitur, ad fanguinem  
 corrupta redit, hunc dein cum solidis ipsis in tabidam  
 resoluens constitutionem. Sed potest etiam eiusmodi mate-  
 ria purulenta, si nimium quantum loco cuidam insit, ipsa  
 sua quantitate vique, quam exserit, premente nocua euadere.  
 Atque tunc pro locorum diuersitate varii exinde  
 propullulabunt effectus. In cerebro: vertigines, epilepsiae,  
 tetani, affectus soporosi, apoplexiae similiaque produci  
 hinc possunt; in pectore vero, anxietates, palpitationes cor-  
 dis, sensus pressionis in thorace, laesa respiratio, catarrhi  
 suffocatiui insultus & alia his similia incommoda. Quodsi  
 secundo materia purulenta in parte tantum corporis humani  
 orta sit: affectus inde oriundi isti plane sunt, quos mo-  
 do materiae purulentae, a sanguine ad locum quendam de-  
 ducta, tribui; vt ergo non opus sit, pluribus de iisdem dis-  
 serere. Conferri de his affectibus prae primis meretur *Il-*  
*lustris de HAEN loc. cit.*

## §. XVI.




## §. XVI.

## E p i l o g u s.

Atque nunc quidem methodum medendi purulentae materiae, sine inflamatione ortae, destinatam suppeditare me oporteret. Huius vero descriptione facile supersedere possum, cum non absimilis sit illi, quam in curanda materia purulenta, a praevia inflammatione nata, solvent Medici adhibere.

## T A N T V M.





JOANUS THOMAS

A

Ua 4235


ULB Halle  
001 500 996

3



sb





DE  
**GENESI**  
**MATERIAE PVRVLENTAE**  
SINE PRAEVIA INFLAMMATIONE

CONSENSV  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,  
D O M I N O

**D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO**

MEDIC. ANATOM. ET CHIRVRG. P. P. ORDIN.  
FACVLT. MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
ACADEM. CAESAR. NATVR. CVRIO. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NEC NON REG. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI

P R O G R A D V D O C T O R I S  
SOLLEMNITER CONSEQUENDO

DIE X. OCTOBRIS C<sup>o</sup> 10CC LXVII.  
H. L. Q. S.

P V B L I C E D I S P V T A B I T

A V C T O R

**I A C O B V S G E O R G I V S O T T O**

ANCLAMO-POMERANVS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.